

mentatis, quae L. V. de *Considerat.* c. 10. leguntur, expresse refert. Itaque editores in suis eum Codicibus reperisse non videntur. *Fol.* 73. et 75. Sermones de *Assumptione B. V.* habentur quidem in Editione, verum aut hic, aut ibi mire transpositi. *Fol.* 83. p. 2. Sermo inscribitur: *Item unde supra, adeoque Bernardi. Init vero: Non immerito fratres nec ad insipientiam uobis ad audiendum uerbum domini auide conuenistis. quoniam uerba uite eterne habet. et uenit hora et nunc est quando mortui audiunt uocem eius et qui audierint uiuunt &c.* Nihil huiusmodi in Impressis *Bernardi*; at ante medium in uerbis: *Sed ecce uox domini clamat ad eum dicens. Peccasti quiesce &c.* nemo non uidet *Caput VI. Sermonis seu Libri de Conversione Clericorum* edit. cit. T. II. col. 477. et plura alia huius Libri uestigia per nostrum *Sermonem* sparsa, qui, cum pariter de *Conversione* agat, aut hunc prae oculis habuerit *Bernardus*, dum illum conscriberet, aut vice versa. Cetera finem uersus in alia abijt *Noster*, et concludit: *quia et eripuit animam meam de morte. oculos meos a lacrimis pedes meos a lapsu. Fol.* demum 95. *Sermo bernardi abbatis*, qui incipit: *Qui non amat dominum ihesum anathema sit &c.* quaerendus est inter *Sermones in Cantica n. XX.* col. 1326. ubi Exemplo nostro prolixior occurrit, et in uniuersum, si de reuisione *Sermonum Bernardi* olim ageretur, ratio foret habenda Codicis huius cum propter magnam lectio-

nis uarietatem, tum propter inscriptiones et diuersam *Sermonum* diuisionem.

Fol. 44. p. 2. occultae *Scripturae Specimen* uisitur in hoc Exemplo: *Si Deus est animus*, uocalibus 5. ita per puncta indicatis |. |:|:|:|:| Theca item anterior conuestita est membrana exhibente *Cantica Graduum CXXX* et *XXXI.* eleganti charactere hebraico absque punctis, sed in secundo legitur גבה לבי לא גבה.

CCCCXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3296 XV. Folior. 404. f. maj. per duas columnas corrente calamo exaratus, et minio distinctus est uastum *Corpus Sermonum D. Bernardi Abb. Claraevall.* nulla certa ratione ordinatum et in *Partes II.* tributum, quarum I. quae *fol.* 209. *Indicem* post se habet, incipit a *Serm. in Coena Domini*, qui Edit. *Maur.* T. III. col. 890. legitur hoc initio: *Hi sunt dies, quos obseruare debemus &c.* Sequuntur tamen mox aliqui de *Aduentu Domini*, item de *Diversis*, longi breuibz mixti. *Fol.* 293. p. 2. succedit *Pars II.* inchoans a *Sermone in Aduentu Domini*, qui inijt: *Exultate fratres in domino, quia de dominica illa sermo succedit &c.* neque *Bernardi* est, sed *Nicolai Claraevall.* et habetur Edit. cit. T. V. col. 565. Ita et plures *Bernardo* perperam tributi, et a *Maurianis* aliis Autoribus redditi utraque *Parte* occurrunt. *Sermones* singulos

gulos ad Editionem magno labore exigere, suumque singulis ex eadem locum adsignare, nec Codicis aetas, nec Scribae peritia mereri visa est. Jacet ad calcem: *Explicit Nicolaus Meyfsner prope Czwickauiam.*

CCCCXXIV.

R. 3122 Codex membranaceus lat. Sec. partim XII. partim XIII. Folior. 149. 4. eleganter scriptus, sed quadam sui parte tardius subpletus, rubricis distinctus et olim Coenobii Montis Pomerii, Pomarii, Baumgartenberg. Ord. Cist. in Austr. super. varia D. Bernbar di Abb. Claraevall. continet, quae ordine edifferam. I. *Incipit tractatus domni Bernardi abbatis clareuallensis de primo uersu Qui habitat in adiutorio altissimi. Tò domni credibile facit, Codicem ante a. 1174. scriptum fuisse, quo Bernbardus inter Divos relatus est. Sermones XXVII. in quos Commentarius iste tributus est, extant edit. Maur. Opp. Paris. 1690. f. T. III. col. 827. Ineunt a Prologo: Considero laborem uestrum fratres &c. et in Codice parum ab Editis variant.*
II. fol. 51. *Sermonum de Diuersis, de Tempore et de Sanctis sequitur Congeries initio ducto a Notula ejusdem de uersu primi Psalmi Beatus uir. quae incipit: Pij sunt qui in deum credunt, et in Edit. T. cit. col. 1198. inscripta est Sermo LXXII. quamvis Bernbar do vix in mentem venerit, breues ejusmodi Commentatiunculae, quae nullam Sermonis formam*

habent, *Sermonum titulo insignire. Ab hinc omnia Bernbardina sunt, licet alio ordine, et saepe aliis Rubricis, quam quas in Edit. praeferunt. At vero*

III. fol. 113. p. 2. succedit Rubrica: *De septem donis spiritus sancti et euangelicis beatitudinibus, cujus Textus: Prima gratia est timor domini &c. Item Rubrica: Sermo de humilitate et caritate et patientia et obedientia, cum Praefatiuncula inscripta: Incipit prologus Sancti Bernbar di in libellum de uirtutibus, quae Praefatiuncula in lacinia paullo recentius descripta et inserta est, hujus tenoris: Eius inspirante gratia qui ubi uult spirat &c. Utrumque hoc Opusculum Mauriani ad T. V. relegauerunt, et quidem ad coll. 757. et 557. nullo indicato Autore, nisi quod secundum ad Benedictinum aliquem pertinere putent, cum in eo citetur S. Benedicti Regula, quae mihi quidem ratio videtur infirmior; nam etiam Cisterciensium est haec Regula.*

IV. fol. 129. *De fide spe et caritate. Tractatulum hunc in Edit. cit. non reperi. Nihil in eo de Caritate, sed praeter adductam Rubricam hae sequuntur: De Fide. De spe. De fide antiquorum. De fide simplici. Igitur aut incompletus est, aut fallit prima Inscriptio. Initium est: De fide et spe que in nobis est omni poscenti rationem reddere ut ait beatus petrus in epistola sua parati esse debemus cum modestia et timore. Itaque ut pariter seruentur modestia in sermone timor in assertionem prophanas uerborum*